



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Punctum II. De Consuetudinis Naturâ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

II. Dicitur ab eodem pro Lege suscipi, cum Lex deficit. *ibid.*

III. Idem annumerat inter Legis conditiones, quod fit juxta Patriæ Consuetudinem, Quod partim provenit, ex eo quod Consuetudo pro Lege habeatur. C. 2. DIST. IV.

IV. Conferitur infinitis in Locis cum aliis Juris Partibus, diciturque servanda ut Lex. C. 5. 6. 7. DIST. XI.

V. Docet JUSTINIANUS diuturnos Mores, qui idem sunt ac longa Consuetudo, vim Legis habere. C. 6. DIST. XII.

VI. Revocari jubet Idem, quod fit contra longam Consuetudinem. C. 7. d.

VII. CAROLUS MAGNUS ita agnoscit, Consuetudinem esse Juris Partem, ut Populos sibi subditos distinguat in eos, qui Lege, & eos, qui Consuetudine reguntur. C. 37. CAUS XI. QUÆST. I.

VIII. Quod à Generali Ecclesiæ Consuetudine est alienum vitandum est. C. 11. 12. DIST. XII.

## §. II.

*Quare Consuetudo sit Pars Juris?*

## REGULA.

Non alia habentur in Canone circa hunc §. quam ista.

I. Si Consuetudini suffragetur veritas, nil firmius retineri oportet, quia nil melius servatur. C. 7. DIST. VIII. §. Hoc.

II. Consuetudinis Ususque longævi non vilis est autoritas. C. 4. DIST. XI. C. 9. *De Consuetud.*

III. Si Consuetudines nihili æstimamus, hinc multum detrimenti Religio feret. C. 5. *Ead. DIST.*

Consuetudo pertinet quoque ad Jus, prout est Juris interpretatio, est enim optima Legum Interpretes. C. 9. *de Sepult.* C. 8. *de Consuet.* eaque interpretatio præfertur ei, quæ ex verborum propria significatione petitur. FAGNAN. in C. 12. *de Judic.* n. 87.

## §. III

*A quo tempore Consuetudo est Pars Juris?*

## REGULA.

Consuetudo est Juris Humani Pars antiquior. §. I. *Verò Consuet.* paulò antè initium. DIST. VII.

RATIO *Gratiani*, ex quo REGULA desumitur, hæc est; A quo Homines simul habitare cœperunt, quod accidit statim ac Civitas à Cain ædificata est, Consuetudine regi etiam cœperunt, Leges autem ab iis longè posterius conditæ sunt.

## PUNCTUM SECUNDUM.

*De Consuetudinis Naturâ.*

*Secundi Puncti* duplex est sensus, nimirum. 1. Quid significet hæc vox, *Consuetudo*, & 2. Quid sit Res hæc voce significata; ideòque in duos §. dividetur.

## §. I.

*Quid significet hæc Vox, Consuetudo?*

## REGULA.

Nil aliud in Canone circa hunc §. quam istud, legitur.

Vocatur Consuetudo Quod in Communi est usu. C. 6. DIST. I.

## §. II.

*Quid sit Res Nomine Consuetudinis significata*

## REGULA.

Hoc unum docet Canon circa hunc §. Consuetudo est Jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, cum deficit Lex. C. 5. DIST. I.

## PUNCTUM TERTIUM.

*De Consuetudinis Divisionibus.*

## §. I.

*Quotuplex sit Consuetudinum Divisio?*

## REGULA.

Quadruplex tantum ex Canone infertur Consuetudinum Divisio.

I. Consuetudo est scripta, vel non scripta. C. 5. DIST. I.

II. Consuetudo est ex se bona, vel mala. C. 6. DIST. IV. C. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

III. Consuetudo est ex se nec bona, nec mala. C. 11. DIST. XII.

IV. Consuetudo est vel Generalis, vel Particularis. C. 12. 13. DIST. XII.

Præmittitur Quinta Divisio Consuetudinis, in illam, quæ est contra Jus, & illam, quæ est præter Jus, quia de illâ non fit expressa Mentio in Canone: Posterior est ea, quæ versatur circa Res nullâ Lege præceptas, nec veritas: illius meminit GONZALEZ in C. 1. *de Consuet.* n. 11. necnon discriminis inter utramque, quod caret fundamento in Jure.

Idem sit de Divisione in Consuetudinem, quæ excedit memoriam Hominum, & eam, quæ non excedit, quia hæc Circumstantia est merum accidens, quod cuique præfatarum specierum Consuetudinis convenit, cum nulla sit, quæ immemorialis esse non possit, ideòque notasse sufficet, quòd ea, quæ huic peculiaris sunt, colligit FAGNANUS variis locis, sed præcipue in Cap. 1. *de Consuetudine à n. 49. usque ad finem C. 4. ibid. n. 33. & 36. C. 4. de Relig. Dom. n. 34. C. 14. & 27. de Jure Patr. nempè, eam habere vim Tituli, seu Privilegii, nisi sit ex illis, quæ à Jure expressè reprobantur, vel Personæ sint incapaces Rei, de quâ agitur: hinc Canones Derogantes Consuetudini addunt quandòque hæc verba, etiam immemoriali.*

## PUNCTUM QUARTUM.

*Quid cuique Consuetudinum generi conveniat.*

*Puncti IV.* tot sunt Partes, quot Consuetudinum genera.

## §. I.

*De Primâ Consuetudinum Divisione.*

## SECTIO I.

## REGULA.

Nil aliud docet Canon circa Primam Consuetudinis Divisionem, quam istud.

Non differt, an Consuetudo Scripturâ, an Ratione consistat; undè GRATIANUS meritò infert, Consuetudinem aliam esse scriptam, aliam non scriptam, sed non rectè judicat, scriptam idem esse ac Constitutionem, cum ista expressè fiat, ab Habente potestatem condendi Legem, Consuetudo verò à Subditis statuat.